



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. V. Alia difficultas resolvitur, & quandonam Sacramenta causent gratiam,
breviter explicatur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

quod disponit ad effectum principalis agentis; & A hoc modo terra verbi gratia dicitur dispositiva operari ex parte rei operatae, quia facit divisionem continuam, quae est dispositio ad formam illam artificiosam, quae in cathedra verbi gratia reperitur. Tunc vero dicitur instrumentum operari dispositivum, ex parte modi operandi, quando producit aliquam actionem, per quam fit ultimatè capax & dispositum ad recipiendam motionem principalis agentis, per quam possit attingere effectum illius. Licet ergo instrumenta naturalia operentur dispositivè ad effectum principalis agentis utroque modo, instrumenta tamen divinae virtutis, solum operantur dispositivè secundo modo, seu ex parte modi operandi. Ratio verò huius discriminis evidens est: in hoc enim Deus differt ab agentibus naturalibus, quod ista dum assumunt instrumenta, utuntur tantum his quae habent actionem præviam, proportionatam effectui principalis agentis, seu producentem in subiecto aliquid disponens ad huiusmodi effectum: faber enim verbi gratia non utitur pectore ad faciendum scammum, sed duntaxat ferrum, quia ista ex se habet vim ad faciendam ligni divisionem, quae est dispositio ad formam scammum: Deus verò, quia est agens infinitae virtutis, non eligit temper talia instrumenta, sed indifferenter utitur qualibet creaturâ, quantum vis actio eius prævia, effectui producendo sit improporionata; imò interdum utitur rebus ut instrumentis, quae effectui quem intendit repugnare videntur, ut patet Joan. 9. ubi ad dandum visum cæcæ nato, assumptum instrumentum lutum, quod certe ex se potius idoneum erat ad excæcandum. Unde licet instrumenta agentium naturalium dispositivè operentur, tam ex parte rei operatae, quam ex parte modi operandi; instrumenta tamen divinae virtutis, operantur solum dispositivè ex parte modi operandi.

95.

Ex hoc facile intelliges, quid intendat D. Thomas, dist. 8. parte quaest. 45. art. 5. negat posse aliquam creaturam creare, nedum principaliter, sed etiam instrumentaliter; quia instrumentum (inquit) non participat actionem principalis agentis, nisi per aliquid sibi proprium, dispositivè operetur ad effectum illius: illud autem quod est proprius effectus Dei creantis, præsupponitur aliis omnibus, scilicet esse absolute; unde non potest aliquis operari dispositivè & instrumentaliter ad hunc effectum, cum creatio non sit ex aliquo præsupposito quod possit disponi ad actionem principalis agentis. Non enim vult S. Doctor, necessarium esse, ut instrumentum ita dispositivè operetur, quod debet alterare, aut aliquo alio modo per suam virtutem immutare subiectum in quo debet recipi effectus causae principalis (hoc enim, ut jam diximus, non requiritur in instrumentis divinae virtutis) sed solum quod debet modificare, & deferre actionem principalis agentis ad prædictum subiectum, ipsam determinando, ut in eo producat effectum: hoc enim est, ipsum subiectum quodammodo disponere ad effectum principalis agentis. Ex quo bene sequitur, nullam creaturam posse assumi ad creandum, quia nulla actio, ita modificata & determinata ad producendum effectum in subiecto, potest esse creatio, cum creare sit ex non subiecto aliquid efficere.

S. V.

Alia difficultas resolvitur, & quoniam sacramenta causant gratiam breviter explicatur.

Objiciunt quarto Adversarii: Non potest significari quoniam sacramenta nostra physice producant gratiam, nam cum, excepta charitatè, omnia alia consistant in ulu materiae, atque adeo inter entia successiva numerantur in rebus autem successivis, tria tantum possunt considerari, initium, videlicet instans, sive visibile, quo dicuntur ultimo non esse & terminari post futurum; finis, scilicet instans in quo dicuntur primo non esse, sed immediate antecedere; & medium, quod est tota eorum duratio clausa inter duo illa instantia; si posset aliquid quando sacramenta novae legis physice causant gratiam, vel in instanti eorum initiativo haberet, vel in terminativo, vel in duratione intermedia? Sed non in instanti initiativo, ut patet cum in illo nondum sint: neque in terminativo, quia in eo jam amplius non existunt; nec tandem in duratione intermedia, nam praeterquam quod gratia est forma permanens, habens totum esse simul, subindeque in instanti, sacramenta in ipsa in sua duratione intermedia, ante instans terminativum, nondum completè & perfecte sunt, & proinde nondum possunt physice gratiam causare: Ergo illa non possunt physice producere gratiam, sed tantum moraliter.

Propter hoc argumentum multi negant physice sacramentorum novae legis efficientiam, quod verò eam propugnant, in varias dividunt sententias. Aliqui enim existimant, gratiam produci à sacramentis toto illo tempore quo durat actus sacramentalis, & quod inter instans initiativum & terminativum illius includitur. Alii dicunt, eam produci eo tempore quo durat ultima syllaba. Alii volunt eam causari in instanti; sed isti in duas adhuc dividuntur sententias, alii asserunt, eam produci in instanti intrinseco quo dicuntur sacramenta compleri; aliis in instanti duntaxat extrinseco, quando verum est dicere, nunc prima sacramenta non sunt, sed immediate antea erant. & hic dicendi modus apud Thomistas communior est. Unde

Dico primo, sacramenta non causare gratiam in tempore, sed in instanti.

Probat brevis: Est enim gratia, de absolute Dei potentia, possit in tempore produci, & aliqui existimant, probabile tamen non est, ita de facto à Deo per sacramenta produci; quia contra naturalem est rebus indivisibilibus: & quare esse est permanens, incipere determinate per primum sui esse, subindeque produci in instanti: Ergo gratia sacramentalis non producit in tempore, sed in instanti, sicut lux.

Confirmatur ex D. Thoma 3. parte quaest. 77. art. 7. ubi probat conversionem panis in corpus Christi fieri in instanti, tripliciter ratione. Prima parte formae, quia forma substantialis non subsistit magis & minus, & ideo fit in instanti. Secundo ex parte subiecti, quod est in ultima dispositione ad formam quam in instanti acquirit, & ideo aër in instanti illuminatur. Tercio ex parte agentis, quia agitur Dei virtute infinita. Sed omnes istae rationes locum habent in infusione gratiae, concurrente sacramento instrumentaliter, ut patet singulas expendenti: Ergo gratia sacramentalis

mentalis non producit in tempore, sed in instanti.

88. Confirmatur amplius ex eodem S. Doctore ibidem in solut. ad 3. ubi sic ait: *Ista conversio fit in ultimo instanti prolationis verborum, tunc enim complentur verborum significatio, quae est effectus in sacramentorum formis.* Quibus verbis rationem fundamēntalem primae partis nostrae conclusionis insinuat. Sacramenta enim non produciunt gratiam, nisi quando est completa eorum significatio; quia ut communiter dicitur, verba operantur in sacramentis, in quantum significant, unde si tollatur à verbis aliquid quod est de substantia significationis, tollitur id quod est de substantia formae, ut docent Zacharias Papa, cap. *Retulerunt* de consecrat. dist. 4. Et Nicolaus Papa cap. *Sive vera*; idēque si una trium personarum omittatur in forma Baptismi, non est validum sacramentum. Sed usque ad ultimum instans prolationis verborum, non est perfectus sensus significationis, nec illa censetur completa: Ergo ante illud instans, sacramenta non produciunt gratiam, sed solum in illo instanti.

Dices, Eo modo potest gratia incipere, quo peccatum; Sed istud potest incipere in tempore indeterminato: Ergo & gratia, Minor probatur: Si Deus imponeret Petri praeceptum de eliciendo actu contritionis ante mortem, quod Petrus non exequereetur, in tali casu peccatum non inciperet in instanti mortis, quia tunc non potest amittere gratiam, quam usque ad illud instans habuit: Ergo inciperet in tempore indeterminato ante eundem illud instans.

Respondeo ipsam tunc peccatum, quando se exponit periculo non satisfaciendi praecepto, licet enim physice loquendo, toto tempore antecedenti instans mortis, possit eliciere actum contritionis, potest tamen designari aliquod instans in quo deberet ultimum tale praeceptum adimplere, quia post illud, adimpletio praecepti erit illi moraliter impossibilis, & idē peccatum in tali casu inciperet in tali instanti.

Dico secundò: Sacramenta non causant gratiam in instanti intrinseco, sed extrinseco, in quo verum est dicere, jam non sunt, sed immediate antea erant. Est contra Suarezem, Philippum à S. Trinitate, & quosdam alios, asserentes sacramenta causare gratiam in instanti intrinseco.

Probat conclusio naica sed efficaci ratione: Sacramenta non conferunt gratiam usque ad ultimum instans: Atqui non habent instans intrinsecum, sed duntaxat extrinsecum in quo desinant: Ergo non causant gratiam nisi in instanti extrinseco terminativo, in quo verum est dicere, jam non sunt, sed antea erant. Major patet ex dictis conclusionibus precedentiibus, & docetur expressè à D. Thoma 4. ad Annibaldum dist. 8. art. 5. ubi ait quod *virtus* (productiva gratiae) *communicatur* sacramento, *quando est in suo termino & complemento, non quando est simpliciter in processu.* Minor verò probatur: Ablutio v. g. & prolatio verborum in Baptismo, sunt res successivae; at res successivae non habent ultimum instans intrinsecum in quo desinant, sed duntaxat extrinsecum, unde Philosophi docent in libris Physicorum, successiva non desinere per ultimum sui esse, sed per primum sui non esse, id est per instans in quo verum est dicere, jam non sunt, sed immediate antea erant: Ergo sacramenta non habent instans intrinsecum, sed duntaxat extrinsecum in quo desinant.

Tom. V.

A Confirmatur & magis illustratur haec ratio: 101

Quando aliquis effectus causatur mediante motu, tanquam terminus secundarius illius, non est simul in eadem duratione in quo est motus, sed in ultimo instanti terminativo ipsius, in quo verum est dicere, nunc non est motus; sed immediate antea erat, ut patet in communi doctrina Thomistarum de alteratione, quae immediate disponit materiam ad introductionem formae substantialis; quando enim durat alteratio, non ponitur forma, sed resultat in ultimo instanti terminativo illius, in quo verum est dicere, nunc primum non est alteratio, & immediate antea erat. Sic etiam ubi permanens, quo quis dicitur esse permanentem in loco, non acquiritur per motum localem, quoadusque motus ille sit perfectus, scilicet in instanti extrinseco terminativo illius, in quo verum est dicere, nunc non est motus localis, & immediate antea erat. Idem conit in generatione mixti, nam quando elementa in se invicem agendo, corrumpunt sese mutuo, & generant mixtum, tunc mixtum causatur instrumentaliter ab eis, quando non sunt, sed immediate antea fuerunt; neque enim possunt causare mixtum quando sunt, alias in uno & eodem instanti essent plures formae in eadem materia, quod implicat contradictionem, ut suppono ex Philosophia. Cum ergo similiter gratia sacramentalis conferatur aliquo modo, medio motu quem includunt sacramenta, non producit in eadem duratione in qua sunt sacramenta, sed in instanti extrinseco terminativo illorum, in quo primum non sunt. Unde

Ad argumentum initio propositum, respondetur in forma, concessa Majori, negando Minorem, quantum ad secundam partem; ut enim jam ostensum est, sacramenta produciunt gratiam in instanti extrinseco terminativo illorum. Cum verò instanti Adversarij: Quod non est non potest aliquid physice producere, nam existentia est conditio necessaria ad agendum: Sed sacramenta non sunt in illo instanti extrinseco terminativo, cum in illo instanti verum sit dicere, nunc non est motus physicus sacramentalis, & immediate antea erat: Ergo in tali instanti non possunt instrumentaliter physice causare gratiam. Dupliciter responderi potest, primò distinguendo Majorem: Quod non est, nec immediate antea fuit, non potest aliquid physice producere, concedo Majorem. Quod non est, sed immediate antea fuit, subdistinguo Majorem, illamque concedo de his quae agunt ut quod, & quae sunt entia permanentia; nego autem de entibus successivis, & quae agunt tantum ut quo; haec enim est natura actionis successivae, ut si per eam producat terminus, ille non existat, donec ipsa actio successiva desinat, ut patet in exemplis supra adductis. Unde cum actiones sacramentales sint successivae, & assumantur tanquam causalitates ministrorum applicantium sacramenta, non debet gratia sacramentalis produci, quando illae actiones sunt, sed quando verum est dicere quod immediate antea erant.

Secundò responderi potest aliter distinguendo Majorem: Quod non est in se nec in sua virtute, non potest aliquid physice producere, concedo Majorem. Quod non est in se, est tamen in sua virtute, nego Majorem. In illo autem instanti extrinseco terminativo motus sacramentalis, remanet virtus ipsius, quia remanet terminus per ipsum productus, in quo recipitur virtus productiva gratiae: Hujusmodi verò terminus est ultimus.

H

mum mutatum esse, quod mensuratur illo instanti A extrinsecè terminativo motus.

140 Dices primò: hinc sequi sacramentum non elevari ad producendam gratiam, sed tantum illud mutatum esse: At hoc videtur absurdum: Ergo &c. Sequela Majoris probatur. Illud non elevatur, quod non recipit virtutem productivam gratiæ: Atqui ex jam dictis, talis virtus in sacramento non recipitur, sed duntaxat in ultimo mutato esse: Ergo sacramentum non elevatur ad producendam gratiam.

Respondeo negando sequelam Majoris, ad cuius probationem, distinguo Majorem: Illud non elevatur quod non recipit virtutem productivam gratiæ, vel in se toto, vel in aliquo complemento suo intrinseco, concedo Majorem. In se tantum, nego Majorem. Quamvis autem sacramentum non recipiat in se toto, imò nec in aliqua sui parte, hanc virtutem, recipit tamen illam in aliquo ad suum complementum intrinsecè pertinente, scilicet in ultimo mutato esse, quod licet non sit intrinsecum sacramento per modum partis, bene tamen per modum termini ipsi immediate efficientis, & ad illud pertinet per modum complementi, sicut punctum ad lineam, & superficies ad corpus: unde quemadmodum unum corpus dicitur tangere aliud, quavis illud non tangat nisi ratione superficie, & corpus perfectè sphericum, contingit planum, licet illud non tangat nisi in puncto: ita sacramentum dicitur causare gratiam, ratione illius indivisibilis seu mutati esse motus sacramentalis, quo intrinsecè completur, quia tunc sacramentum dicitur esse in facto esse, cum antea esset solum in fieri. Ad do quod vis productiva gratiæ non recipitur in illo mutato esse, nisi ratione motus sacramentalis què terminat, & idè hoc ipso quod illud mutatum esse attingit gratiam, totus motus sacramentalis potest dici producere instrumentaliter gratiam.

Dices secundò: Res immediate futura, nullo modo potest agere effectivè: Ergo neque res immediate præterita. Antecedens est certum, & patet ex dictis suprà §. 2. Consequentia verò videtur legitima ex paritate rationis, etenim tam nihil est res præterita, quam futura.

Confirmatur: Sires quæ nunc desinit, & non est, potest agere, quia immediate antea fuit: Ergo & causa quæ fuit heri, poterit modò supernaturaliter elevari ut effectivè agat, quod est omnino impossibile.

106 Ad instantiam, concessò Antecedente, nego Consequentiam, & paritatem; nam res futura nondum existit secundum quid & in termino, sicut res quæ immediate præterit, & idè non potest assumi à Deo ut instrumentum, sicut potest assumi id quod præterit sub ratione successionis, & manet secundum rationem termini.

Ad Confirmationem responderetur quod res quæ heri præterit, non habet contiguitatem cum re quæ modò producitur, & idè neque contactum durationis habet, ac proinde in illam effectivè operari nequit; res autem quæ immediate conjungitur cum alia, habet contactum durationis successivæ, & ita potest agere in illam.

107 Ad do quod, res quæ præterit heri, si virtutem aut effectum suum reliquit, potest hodie à Deo assumi ut instrumentum, non in se, sed in sua virtute & effectum, sicut dicit S. Thomas suprà quæst. 50. hujus partis, de morte Christi, & quæst. 56. de ejus resurrectione, quod operatur nostram salutem & resurrectionem, quia videli-

cer operatur per humanitatem aliquandè mutuatam, & nunc resuscitatam: Sic ergo sacramentum dicitur operari physice, non quia commensuratur partes sint simul, aut secundum successionem suam assumatur à Deo, sed quia remanent in ultimo talis successionis virtualiter, tamen in ultimo mutato esse, in quo (ut supra diximus) patitur virtus productiva gratiæ.

Dices tertio: Si sacramentum operatur in instanti extrinsecè terminativo, sequitur quod potest sacramentum habere suum effectum in instanti separationis animæ à corpore: Sed hoc videtur absurdum: Ergo &c. Minor patet, quia tunc homo qui in tota vita sua fuit in peccato mortali, posset in instanti quo jam non vivit amplius, gratiam accipere, & salvari, quod omnino impossibile est. Sequela verò Majoris probatur, Contingere potest quod taliter ministretur sacramentum homini morienti, ut idem sit instans extrinsecum sacramenti, & separationis animæ à corpore: Ergo si sacramentum operatur in instanti extrinsecè terminativo, poterit habere suum effectum in instanti separationis animæ à corpore, & producere gratiam in anima jam à corpore separata.

Respondeo primò retorquendo argumentum in Adversarios, nam etiam contingere potest, quod taliter ministretur sacramentum homini morienti ut, idem sit instans intrinsecum sacramenti, & separationis animæ à corpore: Ergo si sacramentum causat gratiam in instanti intrinsecè terminativo illius, poterit habere suum effectum in instanti separationis animæ à corpore.

Respondeo secundò, negando sequelam Majoris, nam admissò illo casu, anima separata non recipiet gratiam per sacramentum, ob duplicem rationem. Primò scilicet, ob defectum subjecti capax, sicut enim in naturalibus, vi alterationis non relinquitur forma naturalis in ultimo termino, si materia destrueretur, quia non esset in quo reciperetur: ita etiam si contingeret hominem mori in ultimo instanti extrinsecè terminativo sacramenti, verè sacramentum non causaret gratiam, quia non esset subiectum capax ad recipiendi; si quidem non anima separata, sed corpus conjunctum, est capax recipiendæ gratiæ, & justificationis à peccato. Secundò, quia in ultimo sacramentum non esset ultimò completum, cum non haberet suum ultimum mutatum esse, quod operamen mediante (ut suprà dicebamus) sacramentum producit gratiam: Sicut enim subiectum motus sacramentalis est Homo, ita determinati indivisibilis, seu mutati esse illius; unde in primo non esset homo, non posset esse tale visibile, seu mutatum esse, motus sacramentalis.

Ad completam hujus difficultatis resolutionem, diligenter observandum est, quod quando in prima conclusione diximus, gratiam sacramentalem in instanti produci, si sit sermo de mensura propria & proportionata ipsi gratiæ, hoc non debet intelligi de instanti temporis continui, sed discreti; cum enim actio illa intentionalis quæ sacramenta producunt gratiam, non sit corporea & successiva, sed spiritualis & supernaturalis, non habet pro mensura sui propria & proportionata tempus nostrum, sed aliam mensuram superiorem, quæ nulla alià esse potest, quam tempus discretum, quo actiones supernaturales mensurantur. Quia tamen in hoc tempore discreti, mensurans proprie & per se

productionem gratiae, potest coexistere toti tempori quo durat motus sacramentalis aut quo profertur ultima syllaba, vel solum instanti mensuranti ultimum mutatum esse motus sacramentalis, ideo querunt Theologi, an gratia, in tali duratione temporis, vel in illo instanti, producat; & in hoc sensu diximus in prima conclusione, gratiam sacramentalem non causari in tempore, sed in instanti, nimirum in instanti temporis discreti, correspondenti non parti, sed solum instanti nostri temporis.

§. VI.

Solvitur ultimum argumentum, & an virtus per quam sacramenta eleventur ad causandam gratiam, sit spiritalis, vel corporea, motio, vel qualitas, breviter explicatur.

Objiciunt ultimum Adversarii: Si sacramenta essent instrumenta physica ad causandam gratiam, deberet ipsis imprimi virtus aliqua a Deo, causativa gratiae: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Major certa videtur, quia sacramenta ex se nullam habent virtutem sufficientem ad agendum in animam, & producendum in ea gratiam sanctificantem: Ergo necesse est quod prius natura quam operentur, accipiant a Deo aliquam virtutem per quam eleventur. Minor vero suadetur primo: Si esset aliqua virtus in sacramentis, vel esset spiritalis, vel corporea? Non spiritalis, quia implicat virtutem spirituales recipi in subiecto corporeo. Nec etiam corporea, nam sicut sacramentum ex eo quod corporeum est, non potest ex se, etiam instrumentaliter, attingere effectum supernaturalem & spirituales qualis est gratia; ita etiam non posset eam attingere, motum & elevatum per solam virtutem corpoream.

Secundo probatur eadem Minor: Si in sacramentis daretur virtus aliqua causativa gratiae, per quam eleventur, vel talis virtus esset motio, vel qualitas? Primum dici nequit, cum enim motus le teneat ex parte actus secundi, nequit esse virtus elevans sacramentum, ipsiusque in actu primo confluentis. Nec etiam secundum, alioquin sacramenta nova legis haberent virtutem productivam gratiae permanentem, & sic non essent instrumenta ad causandam gratiam, cum sit contra rationem instrumenti operari per formam sibi permanentem inherentem.

Hic argumento multipliciter respondent Auctores qui physicam sacramentorum novae legis causalitatem defendunt. Suarez enim, Meratius, Yzambertus, & alii Recentiores, nolentes admittere in sacramentis virtutem ullam supernaturalem, per quam eleventur, recurrunt ad potentiam quandam obedientialem, proximam, & immediate activam omnium effectuum supernaturalium, qui non repugnant, quam volunt singulis rebus creatis esse congenitam, imò & ab illis non esse distinctam, sed esse ipsammet entitatem cuiuslibet rei, ut potentem cum Deo influere in quemcunque effectum.

Sed haec solutio & doctrina Suaris, non solum Thomistis, sed etiam Vazqui, aliisque Societatis Theologiae displicet, & fusa a nobis confutata est in Tractatu de visione beatifica, ibi enim multis ostendimus, potentiam illam obedientialem, proximam, & immediate omnium actuum supernaturalium, cum solo concursu Dei simultaneo operativam, & omnibus rebus creatis con-

Tem. V.

A genitam, fictitiam esse, contradictionem involvere, totum ordinem gratiae evertere, virusque Pelagiani erroris continere. Addo quod, etsi talis potentia obedientialis admitteretur, illa non sufficeret ad constituendum aliquid in ratione instrumenti divinae virtutis in actu primo; alioquin, cum juxta Suarem detur in omnibus rebus creatis talis potentia, hoc ipso quod creaturae sunt, omnes essent instrumenta in actu primo ad producendam gratiam aut effectum supernaturalem, nec particularem ordinationem in hoc haberent sacramenta, ut dicerentur esse in actu primo Dei instrumenta ad producendam gratiam; solum enim requireretur applicatio & concursus Dei cum qualibet rei creatae ad producendum talem effectum: applicatio autem & concursus simultaneus non dant virtutem, nec constituunt creaturam in actu primo potentem ad operandum, sed illam ut talem supponunt: Ergo ante applicationem & concursum Dei simultaneum, dicerentur res omnes creatae instrumenta Dei ad producendam gratiam, aliosque effectus supernaturales, subindeque omnes creaturae essent sacramenta.

Addo etiam, repugnare quod instrumentum per virtutem activam sibi congenitam inchoative constituatur in actu primo respectu effectuum quos solum instrumentaliter attingit, & ut excedens respicit. Et hoc praesertim habet verum in instrumentis divinae virtutis, quia in instrumentis quae assumuntur ab agentibus naturalibus, aliquid est in instrumento quo indiget agens naturale ad suum effectum, & ideo non potest aequaliter agere uno instrumento, sicut alio: sicut non potest quis scribere securi, sed calamo, & idcirco agens naturale non praevent in instrumento suo omnem ordinem ad effectum: At vero Deus aequè bene potest gratiam producere ablutione, & ambulatione, ut quavis alia re, aut operatione, unde non supponit in instrumento suo aliquem ordinem ad effectum supernaturalem, sed omnem ipse praevent, & ab ipso derivatur: Ergo non debet inchoativa virtus productiva gratiae, & aliorum effectuum supernaturalium in instrumentis Dei, ipsis naturaliter esse congenita, ut fingit Suarez.

Secunda solutio est Vincentii Asturicensis, & aliorum, qui ut activitatem hanc obedientialem, ab ipsa naturali entitate indistinctam rejicerent, & tamen virtutem supernaturalem a Deo sacramentis impressam admittere non cogerentur, dixerunt sacramenta, & alia divinae virtutis instrumenta, non elevari, nec constitui in actu primo ad producendam gratiam, & alios effectus supernaturales, per aliquid intrinsecum, sed per extrinsecam subordinationem ad Deum, & specialem ipsius assistentiam,

Sed hic etiam modus dicendi communiter à Thomistis rejicitur, & merito, repugnat enim manifestè doctrinae D. Thomae, qui variis in locis expresse admittit virtutem creatam & supernaturalem in sacramentis, & aliis divinae virtutis instrumentis, per quam ad producendam gratiam, & alios effectus supernaturales eleventur. Nam hic art. 4. cum retulisset sententiam aliquorum dicentium sacramenta causare gratiam, per virtutem divinam sacramento assistentem (quae est sententia de elevatione per subordinationem extrinsecam, & specialem Dei assistentiam) eam rejicit: quia (inquit) *Ponendo*

H ij quod